

1524

*Sequanos numerari, leviores equites mille, præter decem Germanorum peditum millia, qui jam Alpes superassent, atque in Cisalpinae Galliae plana descenderent. His si Republicæ copiæ accederent, quis jam animo cumulatæ victoriae gloriam præripere vereatur? Quapropter pro amicitia, pro fœdere superiori anno cum Cæsare percuesso; pro Francisci Sfortiæ incolumentate, qui semper addictissimus Veneto nomini fuerat; pro Republicæ Venetæ gloria petere, bortari, orare, ut statim ea de re Senatus decernat, ne mora tempus terendo eximiæ rerum optime gerendarum occasiones præterlabantur.*

Dum in re tam gravi anceps Senatus cunctatione uititur, ex novarum rerum successibus novæ in nutante Pontificis mente cogitationes oboriuntur. Nam rex, ubi spei a se de Ticino celerrime occupando conceptæ exitum nunquam respondere animadvertisit, copiarum partem ad Neapolitanum regnum invadendum mittere statuit; duorum alterum fore ratus; aut Proregem, ut suæ fidei commissum Neapolitanum regnum tueretur, Insubribus relictis, eo statim cum majori, validiorique copiarum parte convolaturum; aut, illo absente, copiis fere omnibus exutos Neapolitanos ægre suorum impetum latuos. Joanni itaque Scoto, Albaniæ Duci, id onus a Rege imponitur; ut sexcentis levioris armaturæ equitibus, ducentis caphractis, quatuor Italorum peditum millibus ex universis copiis delectis, Apennini jugis superatis, in Neapolitanos impetum faciat. Rentio Ceriti mandat, ut iis militibus, quos ad classem, quæ adhuc in Herculis portu detinebatur, ducebat, præsto esset: complures ex Ursina familia adfuturos, quæ Gallicæ factioni semper studuerat; iis, ut in agro Romano quatuor peditum millium delectum haberent Franciscus jusserrat. Quæ res Pontificis animum nil tale suspicantem vehementer perculere; angebatur, quod Gallorum exercitus per suos fines iter facturus esset. Ducum consilia, militum insolentiam pertimescebat; regno Neapolitano Regem potiri æquo animo pati non poterat. Si transitum Gallis per pontificios fines permitteret, Cæsarem illum pro hoste habiturum; sin vero renueret, Regis offendam subiturum; utroque bellum in fines illius allici; nec sine magno Italiæ discrimine Regem eveni: in clientela Ecclesiæ Neapolitanum regnum esse; beneficia-

*Franciscus  
rex Neapo-  
litanos in-  
vadere sta-  
tuit..*